



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. Quid irreligiositas, & quotuplex?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## 132 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

amphibolius est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad alium quemquam virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, studiosa.

## C A P U T I V.

## De vitiis Religioni oppositis.

## §. 1. Quid irreligiositas, &amp; quotuplex?

**I**rreligiositas, quæ est vitium deficiens in cultu Deo debito, communiter definitur: *Contemptus, aut irreverentia Dei, rerumque sacrarum.*

Sub rebus sacris continentur loca sacra, V.G. templa, monasteria, &c. personæ, ut Sacerdotes, Ecclesiæ ministri, Religiosi, & Religiosæ. Item vasa sacra, Sacra menta, &c.

*Irreligiositas* varias habet species, nempe *tentationem Dei, blasphemiam, sacrilegium, perjurium, voti violationem, & simoniam.*

Tentatio Dei, sumpta, non pro incitatione ad malum, ut Christum tentavit Satanus in deserto, sed pro dicto, vel facto, quo experimentum de Divina aliqua perfectione capere volumus sine justa causa, & extra leges Dei ordinarias, gravissimum secundum se est peccatum.

Secunda species irreligiositatis est, *sacrilegium*, communiter descriptum: *Rei sacrae violatio seu indigna tractatio.* Continet irreverentiam in Deum, quatenus violatur res, quæ cultui ipsius dicata est.

S.

Sacrilegium aliud est ratione personæ violata, ut percussio Clerici, lapsus carnis personæ Deo per votum castitatis consecratæ.

Aliud ratione violati loci, ut spoliatio Templi. Aliud ratione rei violatæ, ut violatio Sacramentorum, Reliquiarum, Festorum, per opera servilia, Scripturæ Sacræ, detorquendo eam in sensus falsos, abutendo eā in negotiis scurrilibus &c. cui Sacrilegio facile cooperantur illi, qui lectionem Bibliorum sīnē discretionē plebi suadent, aut permittunt.

Tertia species blasphemia, quæ est *injuriosa in Deum locutio, mediata, vel immediate facta.*

Dicitur mediata, quia & blasphemia est injuriosa loqui contra Sanctos, aliasve creatureas V. G. eorum reliquias &c. quatenus Deus in eis relucet specialiter, in sua sc. potentia.

Quarta species est perjurium. 5. Voti violatio, quarum malitia abundè colligi potest ex his, quæ dicta sunt de voto, & juramento. 6. Simonia, de qua

### §. 2. Quid, & quotuplex Simonia?

**S**imonia à Simone mago nomen accepit, qui primus in nova lege hanc legitur commississe, dum potestatem conferendi Spiritum S. comparare volebat, ut refertur Act. 8.

Communiter definitur: *Studioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, ane spirituali annexum.*

*Voluntas studioſa idem est, quod deliberata.*